

et generandum; ingruente hieme recedunt et temperatam cœli plagam quærunt. Nos autem miseri mortales, non cognoscimus tempus istud vernum, id est, opportunitatem pœnitendi, Deum placandi, bona opera gignendi, dum sani et validi sumus. Nec declinamus asperam illam hiemem iræ et vindictæ Dei nobis imminentem. Quam vere igitur Moyses dixit: « Gens absque consilio est et sine prudentia; utinam saperent et intelligerent ac novissima providerent! Utinam saperes, (ait Bern. epist. CCXCII). quæ Dei sunt; intelligeres, quæ mundi sunt; provideres, quæ inferni sunt; profecto inferna horreres, superna appeteres, quæ sunt mundi contemneres! »

Rogemus igitur cum cæco et primo quidem, pro nobis: *Domine, ut videam*: rogemus et pro cæcis fratribus nostris cum Elisæo, IV. Reg. VI. *Domine, aperi oculos istorum, ut videant*. Profecto uti latrunculi illi cum viderent se in medio terræ hostilis esse, consternati recesserunt et nunquam deinceps eo redierunt; ita puto, si videret mundus se in medio laqueorum ingredi et in hostium medio versari, supra se Deum iratum, ante se mortem, retro iudicium, infra infernum: puto, inquam, non rediturum ad insaniam bacchanaliorum.

CONCIO IV.

BACCHANALIA EXTERMINANDA.

I. Ob eorum originem. — II. Ob exemplum gentium. — III. Ob christianam honestatem. — IV. Ob eorum perniciem. — V. Quia sæpius punita.

THEMA.

Cum appropinquaret Jericho, cæcus quidam sedebat secus viam. Luc. XVIII.

Tametsi sapienter Ecclesiasticus, c. XXII. dixit: *Musica in luctu importuna narratio*, tamen hanc doctrinam nequaquam observat mundus; siquidem his diebus, quibus Ecclesia jam a septuagesima omisit hymnos et jucunda illa cantica, Gloria in excelsis Deo, Te Deum laudamus et Alleluia, clausit insuper altaria, et assumpsit indumenta tristitiæ, totumque hoc tempus pœnitentiæ consecravit: his inquam, diebus tristibus et luctuosis. Mundus orditur musicam et celebrat bacchanalia, canit pro alleluia profanum illud io, io, et pro sacco pœnitentiæ induit saccum stultitiæ. Et hæc bacchanaliorum importunitas in hodierno evangelio, quasi typo aliquo præsignata fuit. Nam: *Ecce ascendimus Jerosolymam, ait Dominus, et Filius hominis tradetur, etc.* Sed in ipso itinere ad sanctam civitatem, statim ap-

propinquit Jericho, ubi cæcus sedebat secus viam. Quid Jericho significet, S. Greg. in hom. super hodiernum evang. exposuit. Lunam enim significat, et stultorum ferias (juxta id Eccl. XXVII. *Stultus sicut luna mutatur*) non inepte representat, ubi non unus sed innumeri cæci, hoc est, insani homines secus viam cœli sedent. Dum igitur nunc Ecclesia ascendit per viam luctus et pœnitentiæ ad Jerosolymam, hoc est, ad sacrum paschale tempus, adeoque ad cœlum: ecce mox occurrit luna, id est, festum insanientium et cæcorum hominum, qui sacrum istud iter et Ecclesiæ musicam pervertunt. Nimirum inimicus homo superseminavit hæc zizania: quæ quidem eradicanda et e medio tollenda esse, multa sunt quæ suadent.

I. Suadet damnata origo bacchanaliorum, quia a gentilibus excogitata ad Christianos transierunt. Celebrata primum ab Ægyptiis sunt, deinde Orpheo magistro ad Græcos transierunt, inde ad Romanos; ex Italia trans Alpes in Germaniam; et tandem omnem pervasere orbem. Celebrabantur autem apud Romanos noctu a nudis tam feminis quam viris, nisi quod circa caput et femoralia pampinis et uvarum racemis egebantur, sicque tumultuario invicem commixti cœtu, in sublime saltantes variaque gesticulatione brachia et caput moventes carmen inconditum Baccho cantabant, nec prius erat saltationis modus, quam defatigati et toto corpore vacillantes partim resupinarentur proximioribus inhærentes, partim in pavementum fanatici amentesque procumberent: ut recte senserit Marcus Varro talia nisi ab amentibus fieri non potuisse. Ita refert auctor antiquitatum Roman. lib. IV. cap. XVII. Hæc origo, hi progenitores sunt bacchanaliorum nostrorum, in quæ non improbabilius invecus esse putatur a quibusdam apostolus ad Romanos, c. XIII. dicens: *Abjiciamus ergo opera tenebrarum et induamur arma lucis in diei honeste ambulemus: non in comessionibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudiciis, non in contentione et æmulatione, sed induimini Dominum nostrum Jesum Christum, q. d. festa illa tenebrarum festa sunt: ex quo autem nobis dies orta est per Salvatorem, jam non in tenebris ambulandum, nec cum gentilibus bacchandam, sed velut in die honeste ambulandum est. Bacchus etiam fuit, cujus festum celebrarunt et initiati sunt pessimo consilio Balaami Israelitæ, quando cum filiabus Moab fornicati sunt, Numer. XXV. ubi is Beelphegor nominatur, ut ibi ostendit Cornelius a Lapide; propter quod peccatum præcepit Deus Moysi, ut tolleret cunctos principes populi et suspenderet eos contra solem in patibulis:*

et insuper jussione Moysis dicens: *Occidat unusquisque proximos suos, qui initiati sunt Beelphegor*; propterea occisa sunt viginti quatuor millia hominum, quia scilicet Moabitarum profanissima sacra coluerunt. Priapus is Beelphegor erat, qui nuda ostendebat membra: cujus sacerdotes erant feminae, quæ idipsum faciebant, ut ibid. Cornel. Hi igitur progenitores bacchanaliorum et antecessores bacchantium sunt. Deinde, an nescimus quid evenerit Israelitis, quando vitulum conflatilem fecerunt et circa eum saltitarunt? Quando *sedit populus manducare et bibere et surrexerunt ludere*? Exod. XXXII. Nonne in punitiōnem illius criminis Moyses ex mandato Domini mandavit: *Occidat unusquisque fratrem et amicum et proximum suum*? Annon ceciderunt illa die, quasi viginti tres millia hominum? Et unde tantus furor Domini in populum suum, nisi quia profana hæc sacra ab Ægyptiis, a quibus tamen eos separarat, hauserunt et imitati sunt, quia scilicet Ægyptios viderunt coluisse Apim bovis forma? Et quid aliud nos meremur, qui et ipsi a gentilibus excogitata foedissima bacchanalia ad nos derivamus et imitamur? Quid aliud Deus bacchantium, nisi vitulus, id est, lascivia et petulantia? Quando Achan tulit aurum, argentum et vestem ex rebus Hierichuntinis, quæ Deus anathemati subjecerat, hoc est, nefasta, scelerosa et exterminata voluit, totum perturbavit Israel, ita ut fugerent et cæderentur ab hostibus (quia noluit eos Deus contaminari profanis gentilibus rebus) nec aversus est furor Domini a populo, nisi reo deprehenso et cum omni familia sua exusto, Jos. VI. et VII. Atqui nonne et nos Christiani a gentilibus accepimus bacchanalium profana et scelerosa sacra? Jericho lunam significat, et stultitiam designat: (quia stultus ut luna mutatur, Eccl. XXVII.) hanc nos a gentibus tulimus nobisque applicuimus. Quid mirum si et nobis irascatur Deus, nec placari velit, donec ista exterminemus.

II. Suadet, ipsorummet gentilium exemplum, nam teste Livio, l. XXXIX. et S. August. l. VII. de civit. Romanorum senatus ea sacra vel sacrilegia potius ad extremum per totam Italiam abolivit: ita ut ne nomen quidem bacchanalium audire voluerint amplius. Porro post salutarem Christi ortum, prædicato per orbem evangelio, tum uti alia gentilium sacra, ita et bacchanalia prorsus sunt abolita, et multa profana festa in religionem commutata, uti calendæ januarii in triduanum jejunium, februarii in festum purificationis, etc. Post multos annos rursus erigere caput Bacchus cepit et pedem in christianismum intulit sub prætextu quadragesimæ, quasi

omnino æquum videretur, carnibus valedicere et lautius epulari ante initium jejunii. Quod quidem facile persuasit, sed res tum sobrie adhuc peragebatur, utcumque tolerabilis. At paulatim adeo solemne factum est hoc festum, ut nullum totius anni sit celebrius. Annon igitur Romanorum constantia nos pudefacit? Annon illi in iudicio nos condemnabunt? Pessimæ notæ loco dicitur in II. Regum de omnibus pene regibus Israel: *Verumtamen excelsa non abstulit*, id est, lucum in quo colebantur idola gentium. Timendum ne hæc eadem nota nobis adhæreat, christianis præsertim principibus. Quamquam etiam cum vetantur bacchanalia, a subditis non omnino omittuntur, sed plerique contra murmurant, proinde et ipsi rei fient in iudicio illius Christi sententiæ: *Vos ex patre diabolo estis et desideria patris vestri vultis facere*, Joannis VIII. Quis enim alius bacchanaliorum pater nisi diabolus, de quo Dominus, Luc. XI. ait: *Cum immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem et non inveniens dicit: Revertar in domum meam unde exivi. Et cum venerit invenit eam scopis mundatam et ornatam. Tunc vadit et assumit septem alios spiritus secum nequiores se et ingressi habitant ibi. Et sunt novissima hominis illius pejora prioribus*? Sic Dominus: et quomodo verius describere progressum bacchanaliorum nostrorum potuisset? Ejectus enim Bacchus ab apostolis eorumque successoribus nullibi fere invenit requiem: rediit itaque ad populos, unde exularat, et invenit eos scopis mundatos, fide et virtutibus ornatos. Itaque nequiores secum assumpsit spiritus septem, videlicet vitia capitalia, quorum consilio et opera iterum ingressus est in eos, et facta sunt novissima pejora prioribus.

III. Suadet, honestas ipsa et gravitas christiana, cui contraria est ista insania. Quid enim bacchanalia nisi stultorum ferie? Quærat quis in fastis rusticorum hoc festum; et inveniet consignatum figura stulti, nolis adornati. Videat quis bacchantes in plateis; nonne pueri cum clamoribus velut stultos prosequuntur? Et quis quæso libenter vult haberi aut vocari stultus? Quod si pro pœnitentiâ tibi injungeretur ut furentis instar habitu stulti per urbis compita deberes obambulare, vel propter Deum, quomodo Ezechiel jussus erat a Deo, ritu furiosi radere barbam et ponderare in foro, quo Jeremias velut servus fugitivus catenis onustus urbem perambulare: num quæso id facere velles? Et nonne si quis bacchantium istorum primus ingrederetur in aliquam urbem, ubi nullus antea talis visus esset, quomodo exploderetur? Vel si quis extra bacchanaliorum tempus, verbi gratia, in æstate in-

cederet larvatus, quis eum non velut stultum rideret? Nunc vero quia multi stultescunt, tam nobiles quam ignobiles, tam litterati, quam illiterati, idcirco id pulchrum ducitur: quasi vero stultorum copia stultitiam minuat et non potius augeat, vel quasi in uno certo anni tempore pulchrum sit stultum esse et non alio. *Usquequo parvuli diligitis infantiam?* ait Sapiens, Proverb. I. *et stulti ea, quæ sibi sunt noxia, cupient? Et imprudentes odibunt scientiam? Despexistis omne consilium meum et increpationes meas neglexistis, ego quoque in interitu vestro ridebo et subsannabo, cum vobis id, quod timebatis, advenerit.*

Et certe rident et subsannant nos Mahumetani, quod modo his tribus diebus pene omnes insaniamus, et post triduum quasi toti immutati et de bestiis rursus in homines transformati, frequentemus templum, et cinere caput aspergamus: quasi ex instituto in luto nos volutemus, et mox postea in flumine abluamus; quod nemo sanus faceret. Neque Christianos tantum, sed idcirco etiam Christum Dominum irrident, quod tam foedam levitatem tamdiu inter suos toleret. Magna enim disparitas est inter bacchanalia et alia Christianorum peccata. Quod enim multa nobis objiciunt peccata, quæ vigent inter nos, respondere illis possumus, ea non tolerari ab Ecclesia, sed reprehendi, prohiberi, deplorari et castigari. Sed objiciant nobis bacchanalia quod ea toleremus et quotannis celebremus, quid illis respondebimus?

IV. Quia sunt multorum malorum causa; aperiunt enim januam vitiis, et concedunt quodammodo plenariam peccandi indulgentiam propria auctoritate. Idcirco faciem obnubunt, ut sic omni pudore exuto nihil non levitatis et temeritatis audeant; ut merito dici ei debeat: *Usquequo facies peccatorum sumitis?* Psal. LXXXI. Cur enim Deus vultuum diversitatem in hominibus dispensavit, nisi ut mariti uxores, liberi parentes, amici amicos et inimicos, creditores suos agnoscerent debitores, sicque innumera caverentur scelera, adulteria, incestus, fraudes, proditiones, cædes, omniaque maleficia, quæ aliqui impune committerentur? Peccant igitur contra Dei ordinationem, quicumque immutant et quodammodo exterminant facies suas ansamque arripiunt plurima peccata impune perpetrandi. Quo quid potest esse perniciosius? Quis vero recenseat peccata, quæ ut plurimum perpetrantur a bacchantibus? Ibi plerumque ebrietas, ibi ludus intemperantior, et in illo avaritia et injustitia sæpe, ex illo vero lites et contentiones. Ibi choreæ et quæ inde prodeunt obscœnitates. Ibi furta et quandoque homicidia. Ibi ergo: *In medio*

laqueorum ingrediens, quod dixit Ecclesiasticus, cap. IX. Et quis te excusabit aut tibi condolebit si illaqueeris?

Deinde, sæpe vir et mulier permutant vestes, nulla adaeti necessitate, contra legem illam Deuter. cap. XXII. *Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste feminea: abominabilis enim est apud Deum, qui hoc facit.*

V. Quia sæpius a Deo graviter punita. Exempla duo refert Maiolas episcopus Vulturariensis, tom. II. canic. coll. VII. Celebrabantur aliquando in aula regis Galliæ Caroli VI. cujusdam nobilis festivitates nuptiales. Rex animi recreandi gratia (erat enim mente paulisper læsus) et novi spectaculi convivis exhibendi studio, cum quinque aliis, ludis nocturnis, in cœnaculum prodit, vultu in leonini oris imaginem personato, reliquum vero corpus delibutum, multoque lino depexo, ac in villos confecto ita contextit, ut hispidi ac semiferi portenti speciem spectantibus præberent. In orbem reste data choreas pedibus plaudunt, fescennino carmine modulantes. Tota ex regia fit concursus ad picatorum spectaculum. Ludovicus Aurelianensis regis frater, studio clarius visendi, correptam facem propius admovit. E qua scintilla forte in regem incidens repentinum in omnes illos effusa flamma conflavit incendium. Rege vix servato uxoris Biturigis veste caudata fluxaque, qua involutus est, antequam ad vivum flamma, jam corpus lambens, pervenisset, quatuor misere ustulati perierunt, quintus in propinquam promi cellam ruens, aqua vinoque se perluens, salutem sibi peperit, Æmilius, lib. X. Huic non absimile in Germania, anno 1570. accidit, cum comites aliquot Hohenlonenses multis comitibus Eberhardus festo sanguineum suum in arce Waldenbergæ festo bacchanaliorum visitandi studio convenissent. Hi ut nobilibus matronis et puellis nocturnum quoddam ludicrum (ut mos iste nimis frequens obtinuit) exhiberent, Faunorum personas multa stuppa, lineis vestibus, pice resinaque agglutinatis, mentiti, jucundissimo spectaculo convivas ad ludum projectis in mensam tesseris provocant: ex quibus una fortuito casu in terram delapsa, puer personatus dum repetit, funalis incautius adhibiti flammam concepit et opem implorat adstantium. Eberhardus ipse pro sua pietate, puero periclitanti opitulaturus eodem malo corripitur: incenduntur et reliqui. Jocus esse primo visus est; mox rem serio agi clamores omnium indicant. Ad labrum vicinum, quod comes in hunc eventum aqua adimpleri jusserat, certatim accurrunt: at illud modo exaruerat. Erat qui psycterum aqua plenum afferret, sed

CONCIO V.

CONCIONE FUNEBRI SEPELITUR BACCHUS CUM BACCHANALIBUS.

I. Bacchi progenitores. — II. Uxores Bacchi. — III. Liberi ejus. — IV. Facinora Bacchi præclara. — V. Opes Bacchi. — VI. Sepultura Bacchi. — VII. Epitaphium.

THEMA.

Omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo. Luc. XVIII.

Post Plutarchum scribit Eusebius, l. V. de præpar. c. IX. Epithersen Echinadas insulas præternavigantem audisse ex insula quadam vocem istam: *Magnus Pan mortuus est*; eamque gemitus et ejulatus inenarrabiles consecutos esse. Accidit hoc non longe post Christi passionem, qua princeps mundi diabolus foras ejectus et quodammodo extinctus est; unde Christiani magnum illum Pana Luciferum crediderunt, cuius ejectionem et mortem cæteri inferorum, spiritus gemitibus illis planxerint. Similem quamdam vocem non ita pridem audivimus publice promulgatam per Boiariam universam, nimirum: *Magnus ille bacchanalium præses Bacchus mortuus est*; jugulatus a serenissimo nostro duce et Rom. imp. electore Maximiliano, ut de ejus resurrectione omnino desperatum sit; siquidem bacchanalia e suo territorio proscripsit in æternum. Quam quidem vocem audiit imprimis cœlum, audierunt angeli et laudes Deo dixerunt, quod tandem aliquando repertus sit talis rex in Israel, qui *abstulit excelsa*, exemplo immortalis cæteris principibus; audierunt omnes pii et virtutis amatores, quibus jure tribuimus quod in hodierno evangelio legimus: *Omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo.* Sed quantum hinc lætati superi et pii, tantum inde contristati sunt inferi et qui ad eos navigant, Bacchi sectatores, qui hoc infausto nuntio toti consternati, mortem Bacchi deflare non cessant usque hodie, ac tantum non e sepulcro eruere conantur. Ad horum ergo solatium adornabimus parenti ipsorum funebrem concionem, eo fere stylo, quo solent uti præcones Lutherani, cum *mortui sepeliunt mortuos suos.*

I. Celeberrimus iste Bacchus, bacchanaliorum præfectus et choragus, celeberrimos habuit parentes et progenitores. Primus ejus parens imo patriarcha est diabolus, qui in paradiso primus induit larvam, cum serpentem subingressus ex ejusdem ore provocavit Evam ad aleam proposito ei pomo velito, perdiditque ludum Eva, et tantum contraxit debitum, ut nos filii usque in hodiernum luere id debeamus.

in ipso limine præ nimia festinatione offendens collabatur, effusa quæ intus erat aqua. Alterius aquam ferentis cadus ligneus fatiscens, auxilii desperatione calamitatem auget. Et vertitur lætitia in miserabilem ejulatum, dum tribus horis tres comites, in ipso ætatis flore miseris ustulati modis, periire.

Impletum igitur in his videtur, quod fornicariæ synagogæ minatus est Deus, Ose. II. *Et nunc revelabo stultitiam ejus in oculis amatorum ejus, et vir non eruet eam de manu mea. Et cessare faciam omne gaudium ejus, solemnitatem ejus, etc. et mox: Et visitabo super eam dies Baalim, quibus accendebat incensum et ornabatur in aure sua, etc. Quid enim bacchanalia nisi dies Baalim?*

Sed diceas suaderi his diebus bacchanalium libertatem, quia eam communiter omnes amplectuntur. Sed respondeo majorem partem communiter delirare et damnari. Sic Jud. VII. milites 9700. procubuerunt in aquas et biberunt pro inflexis genibus, qui a Deo exauctorati sunt: 300. tantum biberunt moderate, qui proinde victoriam insignem reportarunt. Audiamus Senecam hominem gentilem, sed vere christiane monentem de simili festo sui temporis, epist. XVIII. « His maxime diebus, inquit, animo imperandum est, ut tunc voluptatibus solis abstineat, cum in illas omnis turba procubuit. Certissimum argumentum firmitatis suæ capit, si ad blanda et in luxuriam trahentia nec it, nec abducitur. Hoc multo fortius est, ebrius ac vomitante populo siccum ac sobrium esse. Illud temperantius, non excerpere se, nec insigniri, nec misceri omnibus: et eadem sed non eodem modo facere. Licet enim sine luxuria agere festum diem. » Quid jam dicat quæso aut faciat Christianus? Esto igitur sit in his hilaris major quædam hilaritas, sed intra limites modestiæ, non qualis est in vulgi insania. Biberunt etiam trecenti illi milites, de quibus diximus, sed non eodem modo ut alii nonies milleni. Non se proluerunt aquis, non procubuerunt, non flexerunt genua. Edendi, bibendi, et ut ait Tullius, I. officiorum, *ludendi etiam est quidam modus retinendus, ut ne nimis omnia profundamus.* Nos ergo, auditores, imitemur trecentos illos, non procumbamus in voluptates, sed uti e Nilo canes raptim bibunt, ne a crocodilis intercipientur: ita nos in transcurso potius delibemus mundum. Non flectamus ante illum genua: non sit venter Deus noster, ne finis noster sit interitus.